

quem effudit in nos abunde, &c. Item per baptismum extinguitur concupiscentia, non, vt non sit, nisi forte hoc fiat miraculo, vel dono Dei speciali, sed vt non obſit, quia ibi gratia infunditur qua illa superari possit, ut habetur per tex. in c. 2. de consecr. distinctio. quarta, vnde concupiscentia in quantum habet rationem culpæ, extinguitur per baptismum: in quantum habet rationem pænæ: manet. Item per baptismum tollitur irregularitas ꝑ proveniens ex delicto, qualitercunque provenit. Vnde si quis ante baptismum homines occidisset voluntarie, post baptismum promoveri possit, non autem illa bigamie, vnde bigamus ante baptismum non potest post baptismum promoveri, vel in Episcopum consecrari. Nec fœmina etiam corrupta qualitercunque potest post baptismum velari, & inter virgines consecrari, vide glo. sing. in c. deinde. dist. 26. Et ratio est: quia virgo velata significat Ecclesiam in custodia amoris & cõformitate iunctã, & illius est nullum præter eundem amatorem admittere, vel amississe, quia aliter non dicitur inter virgines. Quia vero in fœmina corrupta deficit signum coniunctionis in casto amore cum sponso, sicut dum Albertum magnum, ideo non potest inter virgines consecrari. Si autem irregularitas provenit ex delicto, tollitur per baptismum, siue sit homicidium, siue aliud. Et ratio est: quia homicida nõ est ad ordines inhabilis, nisi propter horrorem sanguinis, qui quidem tollitur in baptismo: quia supponitur quod sit factus agnus de lupo. Sed de hoc vide c. 27. de irregul. num. 72. in nostris decif. In casu tamen baptismus nõ solum non tollit irregularitatem, sed etiam illam inducit, vt in rebaptizato, de consecrat. dist. 4. c. qui bis. extr. de apost. c. 2. inducit etiam baptismus irregularitatem in alio casu, quando adultus rationis compos, qui dum esset sanus distulit baptismum, quia si in ægritudine timore mortis baptizatur, non debet nec presb. ter ordinari, nec ad minores ordines promo-

ueri, nisi in duobus casibus. c. 1. dist. 57. Sed Archid. ibi dicit, quod illa non est irregularitas, sed impedimētum: nam quia contempsit baptismum, ideo baptismus contemnit eum, ut punitur in eo, quod deliquit, arg. 12. q. 2. c. qui & humanis, cũ similibus. Igitur contemptus baptismi illam irregularitatem, & defectum inducit. Item baptismus tollit ꝑ omnem infamiam provenientem ex peccato: quia dona baptismi sunt sine omni pœnitentia, & satisfactioe, c. sine pœnitentia, de consecr. dist. 4. Vnde si aliquis occidisset mille homines ante baptismum, omnis infamia, & irregularitas tollitur, ut dist. c. 33. c. si quis post acceptum. Hoc etiam patet in Paulo, qui ante baptismum fuit homicida, & tamen postea factus est Apostolus, vt 50. dist. §. econtra. Item est glof. notab. in d. cap. Deinde, verb. inter peccata. Item, quia baptismus est ꝑ efficaciaior quàm pœnitentia, quia per ipsum omnia peccata dimittuntur mortalia, & venialia: ita plene, ac perfecte quod si quis statim decederet, nullam pœtam sentiret, de pœnit. dist. 7. cap. nullus, quod non sic est in pœnitentia: quia in pœnitentia & si dimittatur peccatum per cordis contritionem, remanet tamen temporalis satisfactio. Sed in baptismo non: nam tanta est vis sacramenti, quod nulla opera satisfactoria iniungenda sunt peccatoribus baptizatis, nec vlla pœnitentia exterior. i. confessio, quæ fit sacerdoti necessaria est, licet pœnitentia interior, quæ fit Deo, vt adultus recogitet peccata sua, & de eis doleat, necessaria est: & ita intelligitur tex. in c. sine, de consecr. dist. 4. quia non potest quis inchoare nouam vitam, secundum August. nisi eum pœniteat veris uite. Aequiparantur tamen baptismus, & pœnitentia, quia possunt ministrari tempore interdicti generalis. Item, quia illud facit pœnitentia, quod baptismus quo ad vitam æternam. ita glof. in c. ne forte, de pœnit. dist. 1. Item verus est baptismus, licet verba substancialia per imperitiam corrupte proferantur, de consecrat. dist. 4. c. retulerunt. Item quia in baptismis